

quod est humanæ imbecillitatis necessarium quasi consequens, hic idem plures alios magis noxios & vitiosos, Odium puta diversum sentientiū, suspicandi de ipsis nescio quid mali & apud superiores in suspensionem eos adducendi vel clanculum subrepentē libidinem, adversas eorum hypotheses in pejorem partem interpretandi consuetudinē, atq; adeo similtates, aliaque Christianam charitatem evertentia mala magna numero parturiret; ) quantò satiùs, inquam, esset quæ in hujus aut illius philosophi receptis & publicâ Autoritate introductis scriptis sanæ rationi & experientiæ manifestè consonant, ea servare & confirmare ulterius, quæ obscuriùs dicta aut insufficienter demonstrata reperiuntur, iis nihil dissimulando ex aliis clariora & meliora substituere, quæ deniq; manifestè falsa deprehensa aut demonstrata ab aliis fuerint, ea candidè & apertè, non, quæsitis & coactis interpretationibus tempus malè collocando, fateri lubentesq; derelinquere, atq; eo animo derelinquere, qui ad alia plura non temerè quidem sed flagitante rei necessitate deserenda, & in melius mutanda subinde quædam, paratus sit?

VI. Itane verò horariam, inquires, habebimus Philosophiam aut ἐφήμερον, mancam perpetuò & mutilam, mutabilem semper ac, adsutis laciniatim ad veteres pannos subinde novis, aliam indies, nec eandem unquam? Imò verò eandem habebimus, sed ita uti navis eadem numero in scholis dicitur quam à multis retrò annis aliâ subinde aliâq; parte sarcire & renovare necessum fuit: ita eandem, ut Anatomia & Astronomia, parvæ illæ Philosophiæ naturalis particulæ, toties jam correctæ, toties hac aut illâ sui parte mutatæ ac imposteriorum etiam corrigendæ & mutandæ ampliùs, eadem tamen sunt manentq; scientiæ: ita deniq; eandem, ut semper meliorem, etsi nunquam perfectam, nunquam omnibus absolutam numeris. Hæc talis autem quibus ad palatum non est, ii humani intellectûs imbecillitatem, ac rerum noscendarum sub-

sub-